

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
FAVORE  
ERGA DEBITORES  
CALAMITATE BELLI  
DEBILITATOS

QUAM  
PRAESIDE  
CHRISTIANO HANACCIO  
ICTO DIGESTI VETERIS PROFESSORE PVBLICO  
CVRIAE PROVINC. ET SCABIN. ASSESSORE  
ITEMQVE ORDINIS IVRIDICI  
SENIORE  
S V M M O S  
IN VTROQVE IVRE HONORES  
CAPESSENDI CAUSA  
IN AVDITORIO MAIORI  
DIE XXIII. DECEMBR. MDCC LXII  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
PVBLICAE DISQVIGATIONI SVBMITTET  
AVCTOR  
CHRISTIANVS ERNESTVS BAVER  
FRISDORFF. MANSFELD.

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

Coll. diss. A  
173, 34<sup>b</sup>

Coll. A. 173(34)<sup>b</sup>

~~173, 34~~

DISSECTATIO IN ANATOMIA  
DE

F A V O R E  
E R G A D E B I L I T O R E S  
C A L A M I T A T E B E L L I  
D E B I L I T A T O S

FRASIDE

CHRISTIANO HANACCIO

MDCCXCVI DICESTI VETERIS PROFESSORE PVRBICO  
CVRIAE ROTVING. ET SCABIN. ASSESORE  
IYMOV. ORDINIS IVRIDIQ.



IN VTRIQVE PVRE HONORES

CASSENI CAUSA

IN AVDITCVIO MAIORI

DE PVRE PVRE MDCCLXII

HON. ANTE PVRE PVRE MDCCLXII

REPUBLICA PVRE PVRE MDCCLXII

AVCTOR

CHRISTIANVS ERNESTVS BAVER

AVCTORE MANV

IN PVRE PVRE

PRIO PVRE PVRE GOTTON RICHTELI

ACADEMIA PVRE PVRE

Handwritten signature or mark in the bottom left corner.



§. I.

*Iusta in infelices miseratio.*



**N**ihil diuinæ gloriæ (a) humanoque iuri conuenientius, nihil rei publicæ salubrius, nihil mortalibus magis necessarium commendari poterit, quam vt miseris atque afflictis omni modo consulatur. Iam vox est naturæ, auxilium præbendum egentibus, tuendos aerumnosos. Aegroti quasi sunt reipublicæ membra, de quorum restauratione et salute non satis curæ adhiberi posse videtur. Hinc non solum principem de eorum conseruatione sollicitum esse oportet, sed etiam prouidendum, ne malum exortum altius latiusque exsurgat. Atque idem hoc est, quod maximum ciuium de-  
fensio-

A 2

(a) Hanc hominum conseruationem omnium maxime præcipere Illustris Præses, in dissertatione, de dei gloria, iuris naturalis principio, omni exceptione maiori, probauit, habita illa est anno 1753. et gallice versâ, 1760.

senforem TULLIVM (b) commouit, vt illis, qui reipublicae praesunt, verbis commendaret grauissimis, vt totum corpus reipublicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Certe, quo maior est miserorum numerus, qui difficilius ope nostra carent, quam nos illorum officiis, eo diligentius videt rei publicae gubernator, ne subsidio destituti cadant. Pulcherrime PLINIUS, (c) frustra proceres, inquit, princeps tuetur, plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere. Maxima igitur omnis magistratus cura esse debet, vt malo huic formidolosissimo, quantum possit resistat, periculumque quod ciuibus suis imminet, propulset atque avertat.

Et, quamuis hae ipsae rationes, per quas magistratus ad ciuium salutem impellatur, magnae nominari possint, nouas tamen adhuc et grauiore in Saxonia adesse proh dolor! sentimus. Optimi enim nostri REGIS, de quo non sine summae gloriae memoria ob diuinum in subditos suos amorem cogitare possumus, edicta, ad conseruationem et incolumitatem sui populi peruulgata, denuo et arctissime omnes illos obstringunt, quibus magistratus demandauit munera.

Crescit etiam, aut minuitur miserorum conditio, secundum ipsum internum reipublicae statum. Quo florentior ille est, eo minor, quo infelicior, eo maior semper eorum existet numerus. Itaque etiam in primis sinistro temporum tractu, quin omnia remedia vndique sint repetenda, quae ad conseruationem vnus alteriusque ciuium generis aliquid afferre possint, nemo est, qui dubitabit. Praeclara et omnibus maxime incumbens est occupatio, ciuem ab interitu liberandi. Operae igitur pretium facturus esse videor, si doctrinam, de favore, in debitorem miserum e belli calamitatibus adhibendo paul-

(b) CICERO de Off. L. I. c. 25.

(c) PLINIUS in Pan. cap. 26. §. 9.

paullo diligentius excutiam, in eaque re viam, (e) quam multi excellentissimi viri iamiam aperuerunt, ita sequar, vt cuncta ad nostrum institutum nostraque accommodem tempora.

## §. II.

*Descriptio fauoris.*

Continet autem ille fauor quem vt efficax et praesens seruandae ciuium salutis remedium laudauimus, temperamentum iudicis, quod in belli calamitatibus, contra nimiam creditorum acerbitem, secundum temporum, locorum, et personarum qualitatem, ad ciues ab interitu seruandos, adhibetur. Iudex agit vt vir bonus, qui iustitiam cum aequitate feliciter coniungit, qui, quantum potest, prospicit, ne quis damno afficiatur ac pereat, imo porius omnibus subuenire annititur. Congrua est descriptio (f) *qui prodest quibus iuste potest nocet nemini.* Est igitur illi salus ciuium inprimis curae cordique et quasi suprema lex. Hoc agit ex una parte, vt suum cuique tribuatur, atque ex altera eadem prouidet vigilantia, ne debitor in ferendo onere nimis prematur, et ad desperationem perducatur. *Dispicit*, secundum VLPIANVM (g) *medie, vt neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur.* Postulat pietas, fides et iustitia a debitore vt omnia adhibeat subsidia, quibus creditori cum fructu satisfacere possit, sed e contrario iterum ab humanitate et creditoris officio desideratur, vt hic nihil debitori iniunctum velit, ex quo nullam capiat vtilitatem, sed debitorem solummodo

A 3

modo

(e) Quorum in numerum MEVIUS in discussione leuaminum inopiae debitorum, ASSVM in telo necessitatis paupertatis et impossibilitatis, TABOR in consultatione de praesidiis debitorum infelicium, MANZIUS in patrocinio debitorum, CARPZOVIUS, COLERVS aliique quam plures ponuntur.

(f) CICERO de Off. III. 19.

(g) l. 25. D. de pignerat. actione.

modo perdat. Plura addere nolo, quae ad hanc iudicis aequitatem, iure diuino comprobata, pertinent: Quam si quis vult expressam pulcherrime cernere, MARQVARDVM FREHERVM adeat in Sulpitio, siue de aequitate, dignam EVERHARDO OTTONI visam, quam Thesauro iuris romani adiungeret. (b)

## §. III.

*Laudati fauoris fundamentum in sana ratione.*

Cuius fauoris fundamentum si indagare volumus, illud tam iure naturali, quam ciuili positum esse censeo. Statim enim lex est praecipua et ipsi quasi naturae insita, vt homo hominis sit studiosus. Imo SENECA (i) nominat *nefandum, nocere patriae aut ciui, quia pars patriae sit, sanctae partes, si vniuersum venerabile. Ergo et homini.* Quae cum ita sint, nos omnino obstrictos videmus ad nullum beneficium, quod sine incommodo nostro fieri potest, alteri denegandum, tantum abest, vt ipsi damnum inferamus. Cum autem miser debitor maximum atque irreparabile sentiat incommodum, si cum violentia ad incitas redigitur, non possumus non ab hoc durius eum tractandi modo abstinere. Alit hanc aequitatem, quod casus, qui fortuiti vocantur, nobis tribui non debent, quia non sunt penes nos, e serie causarum obscura orti. In his, ratione ciuium habita, bellum merito numeratur. Clam enim volant bellorum faces, ac praeter spem opinionemque fortunas nostras euertunt. Hic nulla culpa sua locupletissimi opibus exuuntur omnibus, vt fidem fallere, quam tueri facillime potuissent, cogantur. Tales qui vexat, miseris illudit, quorum debuisset aerumnas, ratione duce, tollere, aut subleuare saltem, non cogitans, quid vesper sibi ferat mane felicissimo. Itaque vir bonus non solum ius sequitur, quod externa

reti.

(b) Tom. IV. pag. 365. seqq.

(i) SENECA L. 2. Cap. 31. de ira.

retinet iudicia, sed iustitiae latius patentis laudem consecratur, memor illius quod est apud eundem SENECAM, (k) *quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet, quam iuris regula, quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quas omnia extra publicas tabulas sunt.*

## §. IV.

*Legum positivarum cum hoc favore consensus.*

Cui aequitati etiam iura nostra prouincialia et recepta plane respondent, iurique diuino fasces submitunt, imo tanta legum ea de re est copia, vt ne potiores quidem attingere in hac breui pertractatione liceat. Si enim in memoriam maiorum nostrorum reuertimur, varios modos adhibitos inuenimus, per quos non solum fauor in soluendo debito admissus, sed omnis obligatio fuit deleta. Hic ipsa lex diuina (l) praebuit exemplum, quae septimo quoque anno, siue Sabbathico, Israelitas debitores debitis liberabat suis, non hominem profanum, aut aduenam. (m) Fuit enim numen summum, sicut etiam e seruitute patet, aequalitatis hominum, societatisque retinens atque in regione maxime frugifera obsequium sibi praestitum tantis affecit praemiis, vt iacturam facile quilibet ferret. In republica vero romana certis temporibus per vim nouarum tabularum omne aes debitoribus condonari postulabat multitudo. (n) Quo de turbulento consilio magna doctrina IOH. SCHEFFERVS verba fecit in Agrippa liberatore siue diatribe de nouis tabulis. Cum autem instituti nostri non sit de ipsius debiti

(k) SEN. L. 2. cap. 27. de benef.

(l) Deuter. 15. 2. seq.

(m) MEYER de tempor. Sacr. et Festis Hebraeor. Cap. 9. §. 2. et 3.

(n) LIVIUS XXXII. §. 38.

debiti liberatione agere, mittemus etiam illa, et solum in iusto favore et benevolentia necessaria erga miseros debitores releuanda erimus occupati.

§. V.

*Laudanda principum prouidentia in conseruatione ciuium.*

Certarunt quodammodo inter se nostri legistatores, imperatores et principes in ferendis optimis legibus, quae ad conseruandam ciuium afflictorum salutem spectant. De IVLIO CAESARE refert SVETONIVS, (o) quod ipse etiam de se praedicat, (p) temperamentum non omnino spernendum. *Cum enim bello ciuili fides debitorum tota Italia esset angustior, neque pecuniae creditae soluerentur, arbitros constituit et iussit aestimari possessiones non e pretio, quod illo tempore solueretur, sed quanti quaeque earum ante bellum fuisset, atque creditoribus ea aestimatione in solutum dari idque ad tuendam debitorum existimationem.* Imperator certe callidissimus non ignorabat quas turbas in ciuitate romana alperitas in creditores nonnunquam dedisset. Hinc praepotens tribunorum plebis vis ac suspiciosa fuit exorta, quod ciues bellorum frequentium causa nominibus obruti nexique crudelius habebantur. Grauius LIVIVS haec narrat (q) *Fremebant, se foris pro libertate et imperio dimicantes, domi a ciuibus captos et oppressos esse: tutioremque in bello, quam in pace, inter hostes, quam inter ciues libertatem plebis esse.*

Est igitur CAESAR ille qui primus beneficium cessionis introduxit, quod postea imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS in fauorem debitorum illustrarunt. (r)

Neque

(o) SVETONIVS Cap. 42.  
 (p) IVL. CAESAR de bello Ciu. II7. cap. I.  
 (q) LIV. II. cap. 23.  
 (r) L. 4. Cod. qui bonis cedere possunt.

Coll. Diss. A 173, misc. 34. b



Neque praetereundum hic erit rescriptum illud, quod THEODOSIUS ET VALENTINIANVS in fauorem Afrorum qui bello infelici bona sua amiserant, ediderunt, quamvis praesenti tempore auctoritate Legis non amplius gaudeat. Cuius partes nonnullas huc transferemus. *Si afflictis Afrorum fortunis, qui omnes facultates suas super acerbissima supplicia amittere sunt coacti, decet miserationem publicam, quocumque potest humanitatis genere, vel singulis, vel in commune consulere, quanto dignius est infortunia eorum contra molestias improbas creditorum clementiae nostrae remediis subleuari. Quos enim constat, pericula famis aliter non posse deperere nisi ope aliena auxilioque recreentur, quam magnae acerbitalis putandum est, hos ipsos inopes omnium rerum et precario victu egentes compelli ad iniuriam restituere ea quae improuiso cladis impetu vis maior abstraxit, sibi que inter omnium spolia vindicauit. Et certe, solet etiam salua re prodesse debitoribus, si quid his calamitatis acciderit. Hic vero, ubi omnium fortunarum diluuium, ubi etiam quod per ignorantiam dominorum latere poterit, intolerabilis inquisitionum cruclatus extorsit, quisquam dubitare poterit, quin inhumanitatem superet hostilem, si quis, quod integris et florentibus dederat, nunc ab spoliatis et extorribus patria recuperare conetur, nec eos vereatur exigere, quos erubescendum est, non iuuare. Ob hoc statuimus, ut nulli nomine chirographorum creditae pecuniae, siue fideiussorum, usque ad recuperationem rerum suarum, quolibet pulsante, teneantur, pro quibus, neque fideiussores, neque mandatores eorum quolibet genere obligatos inquietari volumus, qui plerumque a creditoribus nomine debitorum conueniri pro arbitrii sui interpretatione consuerunt. s)*

B

Quos

(s) Nou. Theod. et Val. XXXII. in fragm. in edit. ab Musti. КИТТРО exhib. Tom. VI. Part. II. pag. 61.

Quos dictos imperatores adhuc Iustinianus per nouum beneficium in Nouella 135 concessum clementia antecellere studebat. Liberabat enim per illud debitorem, *qui non negligentia, sed ex accidenti res suas amiserat*, omni bonorum cessione, illique solum iusiurandum imponebat *quod nullam rerum causa occasionem, aut aurum reliquum habeat, unde aeris alieni supplementum faciat*. Recentiori vero memoria, per multas imperii leges, neque minus in ipsis pacis instrumentis (t) elaboratum fuit, ut *actionum persecutiones, contra debitores, lapsos fortunis ob bellicas calamitates, et nimio usurarum cursu grauatos, moderate terminarentur*. Qua ex ratione etiam postea in Recessu imperii (u) nota illa lex fauorabilis, benignitatisque plena, est enata, secundum quam non solum nullus creditorum, per spatium trium annorum debitum repetere, sed etiam, his praeterlapsis, debitor singularem praestare solutionem, neque minus bona in solutum dare poterat, imo omnes pensiones atque usurae restantes, usque ad quartam partem, remittebantur. Quae sanctiones tandem per patria nostra edicta quam maxime adhuc confirmantur. Laudibus enim nostris longe superiores non solum illae sunt leges, quae seculis superioribus latae, et in Codice Augusteo extant, (x) sed etiam summo veneramus obsequio, ac perpetua posteritatis memoria dignissimum praedicamus edictum (y) sapientissimum, ab optimo nostro Rege nouissime conditum, quo, in solatium infelicium debitorum, omnem hastam, praesenti belli tempore, se incio atque inuito, uetuit.

## §. VI.

(t) Instrum. Pac. Osnabr. Art. VIII. §. 8. . . . Ryfwic. Art. XLVI.

(u) Recess Imp de anno 1654. §. 172.

(x) vid. Edict. Seren. El. Sax. Aug. de anno 1653.

(y) Edictum regium die 26. May 1761. Dresdae promulg.

## §. VI.

*Favor solum miseris subuenit.*

Sat firmo igitur fundamento studium erga miseros niti credimus. Constat enim, solum agere de miseris debitoribus, qui per temporum iniuriam, vel praeda, vel grauitate onerum, vel ferro, vel incendiis, vel aliis huius generis caussis ad incitas sunt redacti. Et quis est, qui illos conciuēs non omni miseratione dignos censeat. In reliquis enim debitoribus, quibus plura adhuc soluendi subsidia forsitan supersunt, stabiles saluaeque manent leges, ac de iusta nominum exactio-  
ne, etiam belli temporibus, facultatem suam retinent. Officium est debitoris, datam fidem seruare, propterea, quod *nulla res uehementius rempublicam continet, quam fides, (z) quae tamen nulla esse potest, nisi necessaria est rerum solutio. (a)*

Neque enim calamitates bellicae contractam dissoluunt obligationem. Dubitandum igitur nullo modo est, quin unusquisque ciuium omnes neruos adstringere debeat, ad ea, quae debet, soluenda. Interim si omnia instrumenta deficiunt, tunc iudicis omnino officium erit, creditorum importunitati occurrere. Etenim pius, prudens, suaeque dignitatis, et potestatis studiosus magistratus, non ultra patitur exigere, quam subditi facere possunt, quia ab officio imperantium alienum est, deglubere, quos tueri oportet. (b) Grauius, denique commendat VLP IANVS (c) curatoribus reipublicae, de usuris pecuniae agens, *ne acerbos se exactores vel contumeliosos praebeant, sed moderatos, et cum efficacia benignos, et cum instantia humanos, cum inter insolentiam incuriosam et diligentiam non ambitiosam multum interesse videatur.*

B 2

§. VII

(z) CICERO L. 1. de Off.

(a) idem 2. 24. de Off.

(b) MEVIUS in discurs. leuam. C. 1. 143.

(c) L. 33. D. de Usur.

## §. VII.

*Odiū foenoris.*

Auctoritas autem, quam leges viro bono in hoc aequitatis iudicio attribuunt, vel in caussa vsurarum, vel in ipsa forte versatur. Atque in primo genere, nempe vsurarum campo, tot, tantaque rationes iudicem ad fauorem commouentes existunt, vt illas omnes breui transcurſu recensere nequeamus. Nam si quis est locus in iure vexatus et a viris doctissimis vltro citroque anquisitus, vsurae, quas illi quoque capiunt, qui eas oderunt, in tanta sunt collocatae luce, vt necessaria modo ad argumentum nostrum perspiciendum seligenda, videantur. Cui non dictus SALMASIVS de Vsuris, de modo vsurarum, et de foenore trapezitico. Sed quoniam vehementius interdum Iurisconsultos exagitat, horum causam strenue tuetur Noodt de foenore et vsuris. Sin hic copiosior timetur, non poenitebit Victorem Rintelenſem legiſſe *in fonte errorum et odii vsurarum legitimo inuestigato et obſtructo*. Aliae vero sunt vsurae mordentes, quae foenus vocantur, aliae non mordentes, quibus adhaesit nomen vsurarum.

Recte igitur odium quoddam naturale in duros foenoris exactores statuitur. Perpulchra sunt Tullii verba, *non foeneramus beneficia, sed natura propensi ad libertatem sumus* (d) et AVSONIVS (e) canit

*Turpia lucra*

*Foenoris atque velox inopes vsuras trucidat.*

Quae ipsa foenerationis humilitas etiam Iustiniano praebuit ansam ad istam legem notabilem, (f) vi cuius *nemo illustri-*  
*um*

(d) CICERO de amicitia cap. 30.

(e) In Eclog. de ambig. vit.

(f) L. 26. Cod. de vsur.

um ultra tertiam partem centesimae, vel quatuor pro centenis usurarum nomine in quocunque contractu stipulari poterat, aliis autem personis, atque in primis negotiationem gerentibus maiores permittebantur.

Videtur rem ignauorum et inertium esse, ex alieno sudore sibi lucrum cum impetu quaerere, ideoque parem multiti veterum Philosophorum turpitudinem in usuris quaesierunt, quibus praecipue SENECAM (g) annuero: *Video istic diplomata et syngraphas et cautiones, vacua habendi simulacra, umbras quasdam auaritiae laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem. Quid enim ista sunt, quid foenus, et Kalendarium, et usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina.*

Verum est omnino, varia fortuna agitatum fuisse quaestionem, usurae, an licitae sint, nec ne, usque dum tandem nouissimis nostris temporibus res extra omnem aleam posita fuit, modicas, iure licitas esse, et permissas. (b) Videtur quidem lex diuina intercedere, quae Iudaeos prohibuit, quominus a fratribus caperent usuras. (i) At summum numen eas in peregrinis non permisit modo, sed etiam inter ipsos Iudaeos ne diuites quidem excepit, sanctione ad inopem populum restricta. Ad hunc non pertinent summa inopia laborantes, quos liberalitas eleemosynarum, aliorumque subsidiorum publica alebat, verum pauperes, qui sua se opera ac diligentia nutrire non possunt, temporum tamen calamitatibus nonnunquam mutuo sumere pecuniam coguntur, ad opificium continuandum. Atque hinc explicandum Dauidis carmen, (k) ne quid de ceteris scripturae locis commemorem, in quo pius ac felix praedicatur, quisquis ab usuris abhorret.

B 3

Serua-

(g) Libr. VII. de benef. Cap. 10.

(b) Recess. Imp. de anno 1654. §. 174.

(i) Exod. 22. 25.

(k) Psalm. 15. 5. vid. FRANZIVS de Interpr. Oracl. 152. pag. 932.

Seruator autem noster per charitatem in socios ipsam sortem vult contemni nonnunquam, vt suorum virtus amicorum publicanorum beneficentiam superet. Inde ius canonicum seueritatis suae momentum ducit, quae passim vsuras prohibuit. Sic pontifex Alexander III. atque Urbanus III. valde damnant foenus, legibusque cauerunt, *ne vsurarii ad communionem admitterentur altaris, (l) neque Christianam, si in peccato decesserint, acciperent sepulturam, et si quis Clericorum detectus fuerit, vsuras accipere, placuit eum degradari, et ecclesiastici officii periculum pati. (m)* Pari modo non solum deinde in imperii constitutionibus omne damnatum est foenus, quem ad modum GAILIUS (n) fuisse demonstrauit, sed etiam primi purioris doctrinae nostrae duces improbarunt vsuram. (o)

## §. VIII.

*Fauor ad debitorem accommodatur.*

Iam nunc erit quaerendum, quem ad modum iudex animum suum propensum ad leniendam miserorum calamitatem monstrare possit. Qua in re vt primo in veram debitoris conditionem inquirat, eoque facto, vt bene omnes ponderet rationes erit necesse. Tunc enim poterit vel compositionis amicae autor esse vel inducias indulgere, vel inhumanum prorsus repellere creditorem. Siquidem dubitandum non est, secundum ipsa religionis principia, ab iis, quos vis armorum omnibus fortunis exiit, non exigi posse vsuras. Cum enim egenis mutuum dare debeamus nihil inde sperantes, eo magis illis vsuras remittere nos oportet. Nostrae autem leges consentaneae esse debent voluntati diuinae, eique conciliandae.

Huic

(l) Cap. 3. X. de Vfur.

(m) Cap. 1. X. de Vfur.

(n) GAIL. L. 2. Obs. 5. no. 6.

(o) BOEMMER in Iur. Eccles. L. 5. tit. 19. §. 33.

Huic ciuium generi aequiparatur merito illud, quod quidem non omnibus necessariis vitae subsidiis est destitutum, inops tamen ob belli cladem gemit, et domesticis difficultatibus ita est oneratum, vt magnis oneribus et periculis squaleat. Tantis angustiis fortunae decet magistratum omni modo etiam succurrere. Simili enim amore condigni sunt omnes ciues, ex eodemque aequitatis fundamento a iudice est prouidendum, vt omnibus proficiat, ne infelix belli calamitas nonnullos optimorum ciuium funditus opprimat. Postulat aequitas, vt ille, quem publica miseria maxime afflixit, praecipue iterum releuetur, quamuis cura aliquo leuiori aliorum non adeo periclitantium, incommodo fieri debeat. *Vt enim leges omnium salutem, singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus, et sapiens, et legibus parens, et ciuilibus officii non ignorans, utilitati omnium, quam vnius alicuius, aut suae consulit.* (p) Hinc illi, quem vis maior, et casus fortuitus ita ad inopiam redegit, vt temporis spatio indigeat ad recuperandas quasdam vires, certo fauor iste desideratus non erit denegandus. Liber ille est et vacuus ab omni culpa et mora. Siquidem solum ex conuentione, vel pacto usurarum iustitia non descendit, sed peraeque ex causa, nempe pecuniae vsu, quae iustum facit lucrum, vel non. Inest quasi tacite in hoc pacto usurario mens paciscentium in vsum pecuniae vel rei directa, qui, quando nullo modo expectari potest, aequum omnino etiam est, nihil pro illo exoptulare. Et res est expedita, iudici semper ante oculos versari debere, in conseruandis ciuibus conseruari ciuitatem. (\*)

## §. IX.

(p) CICERO L. 3. de finibus.

(\*) Adiungenda mihi adhuc nonnulla, de usurarum iustitia essent, nisi in ipsa hac pertractatione otium mihi fecisset Illustris Praeses in dissertatione erudita de causis usurarum dubiis 1752. habita.

## §. IX.

*Idem sentiendum est de aliis contractibus foeneratiis.*

Quod autem in legibus de usuris est sancitum, illud ad omnes alios contractus foeneratios, venditiones annuarum praestationum, redituum, censuum, aliorumque non iniuste applicatur. Sunt enim illi quasi species usurarum, quae his saepe numero adhuc multo duriores sunt, re ipsa tamen conueniunt, cum illi mercedem pro usu quodammodo praebent. Ex qua ratione etiam Papinianus fructus *usurae*, et *mercedes praediorum* commiscet. (q) SALMASIVS (r) vero hanc in sententiam statuere potuit, *locari pecuniam, quae foeneri datur, non alio modo, quam aedes, aut ager, aut opera, pro quibus merces exigitur ab his, qui ea conduxerunt*, quamuis alias in sensu iuridico de re fungibili locatio dici non possit. Eadem his in contractibus est ratio, hinc etiam eadem esse debet dispositio. Quam ob rem cessant iterum, si non solum nulli percepti sunt fructus, sed etiam ius possidendi fruendique ablatum fuit, praestationes faciendae, et mitigabitur legum seueritas. Interitui rei ipsum oneris debitum exspirare notum est ex leg. 23. ff. de Verbor. Obligat. et leg. 109. ff. de Solut. imo secundum communem doctorum opinionem perinde est, si bello res ita occupatur ut possessor eiciatur, omnique priuetur usu, ac si interisset, quemadmodum a GALLIO (s) abunde est demonstratum. Recte igitur VLPIANVS vult, (t) *ut aequitatem admittat censitor officio eius congruam et releuet eum, qui in publicis tabulis, delato modo, certis ex causis non possit.*

## §. X.

(q) L. 58. d. 6. D. ad SCtum Trebell.  
 (r) SALMAS. de Usur. Cap. 5. pag. 96.  
 (s) GALL. L. 2. Obl. 27. No. 23.  
 (t) L. 4. §. 1. ff. de Censibus.



§. X.  
*Quid iuris, si debitor fundi quidem fructus percepit, sed  
 mox iterum perdidit.*

Frequens porro turbulentissimis nostris temporibus fori est  
 disceptatio, an etiam is, qui quidem fructus ex fundo  
 percipere potuit, sed paruo temporis interuallo, vel omnem  
 messem cum multis adhuc impensis ad hostes aduehere est  
 compulsus, vel transitu militum per collocationem, omnem  
 frumenti sui copiam amisit, ad exsoluendas pensiones et fru-  
 ctus obstrictus sit. Dura quidem etiam ista videtur obli-  
 gatio. At vero, quoniam plerumque ob fructus istos ipsis  
 praediis fundi inhaeret obligatio, ita, vt quamuis nulli fru-  
 ctus praedii per annum extiterint, tamen ex aliorum anno-  
 rum vbertate illi praestari debeant, per L. 17. D. *de annonis*  
*legat*, et L. 13. D. *de trit. vin. vel ol. legat.* et ex amissione  
 fructuum non omnes fundi redditus statim cessant, debitor et-  
 iam absolui non poterit, nisi aliae rationes plane singulares  
 hoc suadeant. Fortuiti enim casus, sicut sermone trito praeci-  
 pitur dicto, non ipsum perimunt debitum. Ideoque debi-  
 tori, inopiam suam praesentem probanti, nihil nisi dilatio  
 quaedam concedi, exactionisque rigor in felicius tempus  
 suspendi poterit.

§. XI.  
*An emphyteuta canonem annuum possit retinere.*

Quamuis etiam non propter vsum boni emphyteutici, sed  
 praecipue in agnitionem dominii directi, canon solua-  
 tur

XVIII DE FAVORE ERGA DEBITORES

tur annuus, multi Iuris Consultorum tamen ob sterilitatem et deuaftationem hostilem emphyteutam a praestatione liberare conantur. Aduersatur illis quam maxime l. 1. et 2. Cod. de iure emphyt. quae *particulare damnum, ex quo non ipsa rei penitus laedatur substantia*, soli emphyteuticario imponit. Sic iustissimum videtur, decisionem iudici relinquere, qui ipsius praedii conditionem et statum non minus, quam emphyteutae facultates explorare potest. Qua de re GAILIUS et BRUNNEMANNUS (u) ex instituto egerunt.

§. XII.

*Alimenta iis, qui coetui sacro inseruiunt, salua atque integra esse debent.*

Non immerito in pertractatione huius argumenti etiam quaeritur, an a Clericis desiderari possit, ut remittant praestationes debitas, quas ex praediis deuaftatis percipere debeant. Quod statuendum videtur ideo, quod officii eorum est sanctioris, exemplum pietatis atque virtutis omnibus proderet. Sed quoniam non eorum solum interest, sed etiam totius reipublicae, eos liberaliter viuere posse, nullisque defatigari curis domesticis, ne alioquin rerum ad vitam tuendam necessariorum indigentia compulsi, alienos a munere suo suscipiant labores, cultumque diuinum negligant, nulla remissio ab illis exigere potest. Pertinent enim illi redditus ad alimenta eorum, et iustum est, eum, qui altari seruiat, de altari etiam

(u) GAIL. L. 2. Obs. 23. num. 23. BRUNNEMANN. ad L. 1. Cod. de iur. emph.

iam viuere posse. Eadem de caussa, habita dignitatis, officiique ratione, mercedem non deminutam accipere debent, quam si debitor praestare nequit, postulant ab aerario ecclesiastico, debitoremque, remissionem petentem, ad sacrum ablegant senatum.

## §. XIII.

*De iudicis fauore, si ipsa sors petatur.*

**A**ltera caussa, qua iudicis officium imploratur, in ipsa sorte, quemadmodum §. 7. dictum, est posita, ideoque pertractatis iuribus, quae aequitatis doctrinam de usuris absolute, nunc adhuc de ipso debito erit dicendum. Facili negotio vnusquisque perspicere potest, hic longe aliam adesse rationem, quam in usuris, quae modo accessiones sunt sortis, ideoque creditori multo difficilius denegari posse auxilium, ad acquirendum id, quod illi debetur. Nullus enim casus, secundum leges humanas, et *ne incendium quidem exiit debitorem aere alieno*, l. II. Cod. *si cert. petat*. Neque etiam sortis debitum perinde, atque usurarum exactio per aduersam sistitur fortunam, sed fundamentum reipublicae in fide est positum. (x) *Labefactant ii, teste TULLIO, qui populares esse volunt, et pecunias creditas debitoribus condonandas putant, fundamenta reipublicae, concordiam primum tollunt, quae esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae: deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium ciuitatis, atque*

C 2

urbis

(x) CIC. libr. II. cap. 22. de Off.

*urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia, et in hac pernicio reipublicae, ne illam quidem, quam putant, consequuntur gratiam. Nam cui res erepta est, est inimicus, cui data, etiam dissimulat se accipere voluisse.*

Quae cum ita sint, multo circumspectius iudex in remissione sortis iure meritoque aget, atque officium suum nobile, modo in amicis compositionibus, modo in relatione causae ad principem, modo in concedendis induciis adhibebit, inculcans partibus illud poetae

*Non si male nunc, et olim*

*Sic erit: quondam cithara tacentem*

*Suscitat musam, neque semper arcum tendit Apollo. (y)*

§. XIV.

*Disceptationes ob diuersam monetarum qualitatem.*

**N**eque tandem praetereunda est disceptatio, quae ob diuersam monetae qualitatem agitur. Saepissime numero iudex perquam flebiliter imploratur, ut importuni creditoris impetus, desiderantis sortem atque accessionem in monetis ab usu remotis, refringat. Debitor laeque ac creditor iustitia causae suae se gaudere existimat. Hinc in illam est inquirenda. Ratione ipsius sortis lex et norma in Saxonia nobis est Constitutio El. 28. Part. II. quae de omni mutatione, tam extrinsecus, quam intrinsecus facta, iustissime sancit, et ad tempus contractus respiciendum esse iubet. De reddenda sorte igitur causa est decisa. Sed de solutione usurarum, num etiam illae in eodem genere, ac in eadem qualitate praestandae sint, valde adhuc dubitatur. Illustris DE

(y) HORAT. L. 2. Carm. Od. 19.

BER-

BERGER (z) docet: *Vsurae in eodem genere non debentur, v. g. si fors mutuo data sit, an  $\frac{2}{3}$ . Stücken, creditor vsuras in eodem genere, an  $\frac{2}{3}$ . Stücken, a debitore exigere nequit, verum minuitiori moneta a 1, 2. gr. contentus esse debet, imprimis si in chirographo, nequidem sortis in eodem genere an  $\frac{2}{3}$ . Stücken restituendae, mentio facta sit.* Contrarias vero partes tueri illustris a LEYSER (a) Spec. 243. §. 3. et 4. illudque *parum iustum* nominat. Nihil impedit, quo minus ambobus assentiar, addito quodam temperamento. Scilicet temporibus, quibus eadem moneta, quam debitor accepit, in usu est, eandem etiam loco vsurarum creditor postulare potest. Sed eo temporis spatio, quo plane iisdem monetarum speciebus, sine nostra culpa, sumus destituti, ita, vt fors tales fructus nullo modo proferre potuerit, neque debitor ad earum praestationem tenetur, sed iudicis est officium, partibus aequam suadere compositionem. Ex argumento enim, quod vsura incrementum atque accessio sit fortis, non perfecta sequitur obligatio, aut necessitas, etiam idem genus prioris monetae, loco vsurarum soluendi. Neque etiam illud ex lege 23. Cod. de vsuris, quae tamen fundamentum totius causae esse debet, colligi potest, siquidem illud solummodo *suadet, oleo vel quibuscunque fructibus mutuo datis ob incerti pretii rationem, additamenta vsurarum eiusdem materiae admitti.* Sed constat, oleum et fructus per omnes annos etiam non eiusdem bonitatis esse, et tamen lex eo casu non maiorem summam imponit. Accedit, quod pecunia quodammodo fructus solum industriales proferre potest. Videtur igitur omnino creditor, si in latiori significato generis, nempe in pecunia non reprobata, accipit vsuram, conten-

C 3

tus

(z) BERGER in Oec. iur. L. 3. Tit. 8. §. 9. no. 3.

(a) LEYSER, Tom. IV. pag. 855.

tus esse posse. Excipio enim casum, si plane aliud promiseris, aut si debitor utilitatem singularem ob monetae bonitatem perceperit. Statuunt Icti, teste RICHTERO, (b) in contractu locationis, conductorem pensionem non teneri aliter soluere, nisi secundum valorem temporis solutionis. Daß wohl der Verpachter den Rückstand in dem Werth und Gehalt, wie die Münze anno 1617. ganghafftig gewesen, oder den Werth dafür bezahlet haben will: So ist er doch dessen nicht befugt, sondern läffet sich an Münz, wie dieselbe jetzo gäng und gebe billig begnügen: Multo magis igitur hoc fieri debet in mutuo, quod iam sua natura gratuitum esse debet.

Certe ipsa nostra patria Edicta (c) imperant maximam iudici circumspeditionem, atque accuratam omnium rationum considerationem: Was aber sonst für Zinse von ausgeliehenen Gelde nachzulassen seyn mögen, waere wohl zu wünschen, daß maenniglichen die christliche Liebe bey sich so viel gelten liesse, daß er mit der Uebermaß die ihm der Allmaechtige bescheret, seinem Naechsten, so es bedarf ohne einigen Vortheil und Gewinn ausbülffe. porro

Wir wollen aber gleichwohl, durch diese unsere Nachlassung, niemand dasjenige, was die Christliche Liebe von ihm erfordert, weniger in acht zu haben, Ursach gegeben, sondern vielmehr einen jeden gnaediglich und ernstlichen warnet haben, daß er hierbey, fürnehmlich derer Armen und Nothdürfftigen wohl wahrnehme, und sich durchaus in Ausleibung seines Geldes und dieser Zinsforderung also erzeige, damit er es in seinem Gewissen und gegen Gott zu verantworten haben möge.

(b) RICHTER in decis. iur. LXXII. Part. II. p. 47.

(c) In Cod. Aug. Tom. II. p. 1059

T A N T V M.

CANDI-

CANDIDATO  
DOCTISSIMO ORNATISSIMOQVE

S. D. P.

P R A E S E S.



*F*avorabile, in scholis nostris, generatim haud posse defini-  
niri, passim docuit Thomafius, et quidem recte.  
Siquidem, quodcunque uni forte fauorabile est, ex  
aduerso alteri non potest non esse odiosum. Id quod  
certe aptiori exemplo, quam Thema elegantissimae  
disputationis Tuae praebet, non potest illustrari. Ius, quod proponis, de-  
bitoribus propitium, non tam aequitate quadam cerebrina ac nuda mi-  
sericordiae causa, quam potius grauissimis Iuris diuini praecipientis  
argumentis scite solideque uindicasti, atque hac ratione instituto Tuo eo  
maiores conciliaasti laudem, quo praeclarius agunt illi, qui hominum ac  
cuium pariterque ipsius reipublicae salutis studiosissimi, iustitiam amant,  
mundi conseruatricem, damnant uero destructricem, quippe quae a glo-  
ria diuina, ueluti unico omnis iustitiae fonte, remotissima, illi po-  
tius inimicissima est ideoque merito uocatur diabolica. Etenim aeter-  
num ac praepotens Numen, hoc producendo uniuersum idemque conser-  
uando, non, nisi sui suaeque gloriae causa, ubique egisse agereque semper,  
ratio, bene exculpta diuinaeque ueritati modo haud inimica, sed obsequiosa,  
facile potest intelligere, indeque illud sibi capere, quod ipsius Dei finem, in  
actioni.

actionibus moralibus, deserere uolle, hominibus haud liceat. Sed illi, secus faciendo, aperto quasi Marte molirentur in Deum, ubique gloriosum. Genuino hoc diuinæ iustitiæ præsidio nixus, leges humanas, cum Imperii, tum patriæ, debitoribus miseris fauentes, ad probatissimum iusti æquique receptaculum reuocasti, eo quidem consilio, ut et legislatoribus æterna laus asseratur et reipublicæ salus, ciuium conseruatione, obtineatur ac muniatur. Quare, quo nobilior animi Tui indoles, quo præstantior ingenii Tui facultas hic conspicitur, eo certe magis optimus quisque mecum ualde persuasum omnino habet, talem Te et olim semper probaturum, qui, ad ductum Iuris diuini, ciuium periclitantium incolumitatem, placitis humanis, quæ destructoriæ forte spirant iustitiæ, præferre atque afflictiis iusta procurare solamina, enixissime stuueas omnique modo annitaris. Hoc cum sit honesti ac probi uiri proprium maximumque sacerdotis iustitiæ ornamentum, in quo Tu omnem et felicitatis et dignitatis Tuæ spem ac fiduciam optime collocas. Quare, propitio diuinissimo Numine, de felici rerum Tuarum successu votique implemento, dubitare, Tibi haud licebit. Ego uero Tibi hæc omnia fausta ac fortunata tanquam uirtutum Tuarum præmia iusta, cum præsentia, tum futura, ex animo gratulor et apprecor. Dabam Vitembergæ die XIX. Dec. MDCCLXII.

